

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschienen] 1559**

Scena II.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](#)

Quo maxume apud te se ualere sentiet,  
Abiturum se abs te esse illico minabitur.  
Me. Videre uerum, atque ita uti res est, dicere.  
Ch. Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis,  
Dum id quæro, tibi qui filium restituerem.  
Me. Cedo dextram: porro te oro idē ut facias Chreme.  
Ch. Paratus sum. ME. scin', quid nunc te facere uolo?  
Ch. Dic. M. quod sensisti illos me incipere fallere,  
Id ut maturent facere. cupio illi dare,  
Quod uolt: cupio ipsum iam uidere. CH. operam dabo.  
Syrus est prehendendus atque adhortandus mihi.  
A me nescio quis exit: concede hinc domum,  
Ne nos inter nos congruere sentiant.  
Paulum hoc negoti mihi obstat: simus, & Crito  
Vicini nostri hic ambigunt de finibus:  
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram,  
Operam daturum me, hodie non posse his dare.  
Continuo hic adero. ME. ita quæso. dij nostram fidem,  
Itan' comparatam esse hominum naturam omnium,  
Aliena melius ut uideant, & iudicent,  
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra aut gaudio  
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine:  
Hic mihi nunc quanto plus sapit, quam egomet mihi?  
Ch. Dissolui me, ociosus operam ut tibi darem.

## ACTVS TERTII SCENA II.

SYRVS, CHREMES.

Sy. Ac illac circunfera: inueniendum est tamen  
h Argentum, intendenda in senem est fallacia.  
I Ch.



H. E A V T O N I T

ch. Num me fefellit, hosce id struere? uidelicet

Est Cliniæ ille seruus tardiusculus:

Iccirco huic nostro tradita est prouincia.

sy. Quis hic loquitur. perij, numnam hæc audijt? ch.  
syre. sy. hem.

ch. Quid tu istic? sy. recte. equidem te demiror chremi  
Tam mane, qui here tantum biberis. ch. nihil nimis.

sy. Nihil, narras? uisa uero est, quod dici solet,  
Aquilæ senectus. ch. eia. sy. mulier commoda, &  
Faceta hæc est meretrix. ch. sane idem uisa est mihi.

sy. Et quidem hercle forma luculenta. ch. sic satis.

sy. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:  
Minimeq; miror, clinia hanc si deperit:  
sed habet patrem quendam auidum, miserum, atq;  
aridum,

vicinum hunc: nostin'? at quasi is non ditijs  
Abundet, gnatus eius profugit inopia.

scin' esse factum, ut dico? ch. quid ego nesciam?  
Hominem pistrino dignum. sy. quē? ch. istū seruolum  
Dico adolescentis. sy. syre tibi timui male.

ch. Qui passus est id fieri. sy. quid faceret? ch. rogas?  
Aliquid reperiret, fingeret, fallacias,  
Vnde esset adolescenti, amicæ quod daret,  
Atque hunc difficilem inuitum seruaret senem.

sy. Garris. ch. hæc facta ab illo oportebant syre.

sy. Echo quæso laudas qui heros fallunt? ch. in loco,  
Ego uero laudo. sy. recte sane. ch. quippe quia

Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est:

Iam huic mansisset unicus gnatus domi:

sy. Icco ne an serio illæc dicat, nescio,

T I M O R V M E N O S. 66

Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.  
 Ch. At nunc quid expectat syre? an, dum hinc denuo  
     Abeat, cum tolerare huius sumptus non queat?  
     Non ne ad senem aliquā fabricā fингit? sy. Stolidus est.  
 Ch. Atte adiutare oportet adolescentuli  
     Causa. sy. equidem facile facere possum, si iubes:  
     Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.  
 Ch. Tanto hercle melior. sy. non est mentiri meum.  
 C. Fac ergo. sy. at heus tu, facito dū eadē hæc memineris,  
     Si quid huius simile forte aliquando euenerit,  
     Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.  
 Ch. Nō usus ueniet, spero. sy. spero hercle ego quoque:  
     Neque eo nunc dico, quod quicquam illum senserim:  
     Sed si quid, ne quid. quæ sit eius ætas, uides:  
     Et næ ego te, si usus ueniat, magnifice Chreme  
     Tractare possim. Ch. de istoc, cum usus uenerit,  
     Videbimus quid opus sit: nunc istuc age.  
 Sy. Nunquam commodius unquam herum audiui loqui,  
     Nec, cum malefacere crederem mi impunius  
     Licere. quisnam à nobis egreditur foras?

ACTVS TERTII SCENA III.

CHREMES, CLITIPHO,  
 SYRVS.

Ch. Vid istuc, quæso? qui istic mos est clitipho?  
 q      ita ne fieri  
 Oportet? cli. Quid ego feci? ch. uidin' ego  
     te modo manum in sinum huic

